



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Symbola. Numeri varii. Alia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS XVIII. PERFECTIO.

§. I.

*Symbola**Numeri Varij.*

Mille clypei. Cant. 4. 4. Mille hic pro perfectione ponitur: quia in millenario numero omnes numeri perfecti complentur. S. Gregor. hic.

Centenarius numerus plenus in omnibus, & perfectus, ostenditur. Orig. hom. 2. in. Gen.

Perfectionis signum denarius numerus est. S. Cyrill. Alex. in Joan. 1. 4. c. 51.

Quaternarium numerum perfectioni sacram penè nullus ignorat. S. Prosper 1. 3. c. 18.

Quadragesima quatuor decades, quadraram fidei continent disciplinam: quia semper est quadrata perfectio, Chrysol. f. 11.

Alia Symbola.

Psalmi quatuor cantantur in Completorio ad significandam perfectionem. Beletus Rat. div. off. c. 53.

Psalterium est homo consummatus in Christo: in quo, sicut arte continentium fila chordarum; ita convenientium resonant opera canora virtutum. S. Ambros. in Ps. 40. ad finem.

Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Ps. 115. 15. Mors Sanctorum dicta pro perfectione in Sanctitate. Dion. Areop. 1. de Eccl. Hierarch. c. 3. p. 3.

Fulcite me floribus, si ipate me malis. Cant. 2. 5. Per flores teneri quique, & incipientes; per mala verò perfecti fideles designantur. S. Greg. In florib⁹ tenera adhuc virtutum primordia; hic in malis perfectio significatur. V. Beda hic.

Descendi in hortum nucum. Cant. 6. 10. Quid per nucas nisi perfectus quosque intelligimus? qui, dum divinam Sapientiam intrà corpora sua retinent, quasi nucleum in fragili testa portant. S. Gregor. hic.

Similitudo autem vultus eorum, facies hominis &c. Ezech. 1. 10. Quosiam iustus quisque per rationem homo, per sacrificium mortificationis suæ vitulus, per fortitudinem securitatis, leo per contemplationem verò efficitur aquila; rectè per hæc sancta animalia signari unusquisque perfectus potest. S. Gregor. 4. hic.

Celum in continuo motu Lem. *Indefessus agendo.* Perfectionis Christianæ Symbolum, Picinelli.

§. II.

Perfectionis motiva ex parte Dei.

Accidit, ut peccarent duo Eunuchi, pincerna Regis Egypti & pistor, domino suo. *Ira tus contra eos Pharaon misit eos in carcerem.* Gen. 40. 1. 2. 3. Abulensis ex Rabbini refert: peccatum illud fuit, quod pistor negligenter dimisit unum lapillum in pane; &

quod Rex fortè dentes offendit. Et pincerna peccavit; quod in vino regis cecidit musca. Docuit Pharaon, eâ reverentiâ regiam Majestatem debere coli; ut peccatum nullum possit ab ejus oculis reperiri, Naxera in Jos. 17. §. 17.

Circuite terram, & describite eam, ac revertimini ad me; ut hic coram Domino in silo mittam vobis sortem. Jos. 18. 8. Descriptio ad Josue, examen ad Dominum, & ejus obtutum revocatur: ut omni solerti invigilent metatores; nec patiantur principis oculos offendere erratum! Id. ib.

Non vadam, donec ablactetur infans & ducam eum, ut appareat ante conspectum Domini. 1. Reg. 1. 22. Cum vir Annæ Alcana, totaque domus, ad immolandum solennem hostiam ascenderet; Anna ubera sugentem timuit divinis oculis præsentare; domique mansit, perfectionem pueri præstolata ætatem. Gestivit puerum omnibus prius imperfectionibus defœcare. Id. ib.

Ecce ego in paupertate mea præparavi impensas &c. 1. Paral. 22. 14. Dices: quomodo ergo David hoc versu ait, hæc se collegisse in paupertate? & quia hæc omnia pro Dei dignitate, & majestate, erant parva, & pauca. Cornelius hic.

Si offeratis claudum, & languidum; nonne malum est? Offer illud Duci tuo, si placuerit ei. Malach. 1. 8. Vitiosas victimas immolabant Sacerdotes; sibiq; retinebant illas, quæ sanæ essent, & integræ; & plus videbantur utilitatis habituræ. Interlinearis: offer illud Duci tuo: potius respueret, & sibi injuriam factam putaret; & offers Deo, quod non aude-res homini offerre. Naxera in Jos. 21. §. 16.

Maledictus qui immolat debile Domino. Malach. 1. 14. quia Rex magnus ego. ib. Et proinde magna mihi conveniunt, & debentur; eximia scilicet, & perfectissima. Cornelius hic.

Non sum dignus, ut intres sub testum meum. Matth. 8. 8. Non dicit domum, sed testum, quod est quid minus, & solum defendens ab injuriis aëris. Ità enim præ humilitate omnia sua ad suscipiendum Christum ei parva videbantur. Sylveira hic.

Effudit super caput ipsius recubentis. Matth. 26. 7. Murmurabant Discipuli de pretiositate unguenti. Respondet Dominus, apud mulieris illius animum non esse unguentum hoc pretiosum; sed si pretiosius habuisset, pretiosius effudisset: tanti me facit; sed quia non habuit pretiosius, quod habuit, hoc fecit. Arcones in If. 4. Disc. 3.

Quid molestis est huic mulier? Matth. 26. 16. Sciens Jesus, quàm bene mulier ista fecisset; & quàm injustè Judas indignaretur; vel etiam alij, qui adhuc rudes erant; nec Magistri sui dignitatem pensabant: cujus erat tanta no-